



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

Romani Pontificis Lib. V. 647

quod auctoritate literarum predicti praedecessoris nostri propter criminum evidentiā & spontaneam cessionem processeras ad depositionem ipsius, & de speciali mandato ejusdem praedecessoris nostri eum in monasterio Glocestrensi, ubi prius monachus fuerat, carceri manciparas, per testes legitimos comprobasti, deinde autem cum judices ipsi gesta omnia redigissent in scriptis, & terminum partibus assignassent, idem R. in manibus tuis & liti cessit & renuntiavit spontaneus abbatiae, tuque renuntiationem ejus ad multam quorundam religiosorum virorum instantiam recepisti. Ceterum licet sepedicetus R. se renuntiasse abbatiae ab initio denegasset, tandem tamen id in nostra praesentia confessus est, adiiciens quod quia renuntiaverat spoliatus, ejus renuntiatio non tenebat. Præterea cum tu ei congrue promiseris providere, nec volueris adimplere promissum, nec ipse ratum habere quod fecerat tenebatur. Insuper metu fuerat ad renuntiationem inductus, cum tu ei fueris comminatus quod si ad nos cum judicum relatione veniret, obtineres a nobis quod eum in caveam poneremus. Contra hoc autem dictus Archidiaconus replicavit quod eidem R. prodebet non poterat nec debebat quod renuntiaverat spoliatus, ut pote quem non adversarius, sed judex potius spolarat. Metus autem quem allegaverat pars adversa, cum non poterat excusare, cum cadere non debuerit in constantem. Quis etenim constans præsumeret quod nos ad nutum tuum aliquem retruderemus in carcerem & tyrannidem exerceremus in eos qui causas suas apud sedem apostolicam prosequuntur? Non ergo dictus R. debuit qualibet occasione præsumere quod nos hujusmodi vellemus sevitiam exercere. Quod autem præsumpto ejus frivola fuerit, apparuit ex post facto. Licet igitur judex non semper ad unam speciem probationis mentem suam applicet, sed ex confessionibus, depositi- nibus, allegationibus, aliisque qua in ejus præsentia proponuntur formet animi sui motum, & tanta sit judicialis auctoritas ut semper debeat præsumi pro ea donec contra ipsam aliquid legitimè comprobetur, sub praetextu quasi tu contra prædictum R. coram Dunelmensi & ejus coniudice nihil penitus probavisses, standum tamen sententiae fuerat, nisi dictus R. eam ostenderet irritandam. Quia tamen præter ista constituit de ipsis renuntiatione spontanea per quorundam Episcoporum literas

& confessionem ipsius, nos de consilio fratrum nostrorum ei super eadem abbatis silentium duximus imponendum. Volumus autem ut eidem, divinae pietatis obtentu, de redditibus monasterij de Torneia in aliquo loco religioso congrue facias provideri. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. Datum Laterani &c. II. Non. Iunij.

E I D E M.

EX parte tua fuit in audiencia nostra propositum quod praedecessores tui correctione excessuum, examinationes & decisiones eorum in quibusdam Ecclesiis quæ ad te pertinent pleno jure, per seipso confuerant exercere, ita quod vices & officium Archidiaconi gererent in hac parte. Tu vero pondus curæ pastoralis attendens, alios vis in partem commissæ tibi sollicitudinis evocare, & ad curam archidiaconalem in prædictis Ecclesiis exercendam duos Archidiaconos ordinare disponis, ut levius in singulis fiat onus quod in plures fuerit distributum, & Ecclesia Cantuariensis tribus Archidiaconis de cetero gaudeat, quæ unum solum haec tenus noscit habuisse. Nos igitur propositum tuum in Domino commendamus, & ut illud effectui mancipes, suademus, si tamen sine gravi scando & præjudicio aliquorum poterit adimpleri. Datum Laterani II. Kal. Iunij.

*Epi. 16.
Datur Archiepiscopo facultas instituendi Archidiacolos.*

**EZIENSI EPISCOPO, DECANO
Lincolniensi, & Archidiacono de Bedfor.**

QVerelarum diversitas & frequentia questionum qua nobis contra venerabilem fratrem nostrum H. Eboracensem Archiepiscopum assidue proponuntur nostrum fatigat vehementer auditum: qui cum a nobis sepe commonitus fuerit & correctus, ut actus suos in melius emendaret, ipse nec admonitiones, sicut decuit, acceptare nec correctiones, prout oportebat, asseritur admisisse; & licet a dictis filiis Decano & Capitulo Eboracensi Ecclesiæ, tamquam pater a filiis, a quibusdam viciniis Episcopis & allis nonnullis viris religiosis commonitus fuerit diligenter ut ab ipsorum indebita molestatione cessaret, & se circa eos & alios subditos suos tamquam benignus pastor haberet, ac super aliis nonnullis quæ pontificale fastigium decebant, suæ corrigeret operationis excessus, ipse propter hoc gravior est illis effectus, tamquam qui semper in illorum molesta gloriatur. Nolentes igitur haec & alia quæ nobis denuntiata fuerunt

*Epi. 17.
Commitutur
cic ut exami-
nent accula-
tionem proposi-
tam adversus
Archiepisco-
pum Ebo-
racensem.
Vide epistolas
tres Innocen-
ti. apud Hor-
den. ad an-
no 1101.*